

nem Chronicum, & Lydiatum in notis Chronologicis. Palmerio autem, quia in Autographo habetur Λυδο cum ο, Λύδου potius quam Λύδων ἐβασίλευσε placet legere. Sed verba imperandi raro regunt Dativum, nisi apud Poetas: nec verisimile est Chronographum nostrum, qui in omnibus aliis locis post verbum βασιλεύω genitivum ponit, illud verbum in hac Epochæ contra linguæ Analogiam cum dativo contruxisse. Multo igitur melius Doctissimus Seldenus supponit ο in Λυδο aut quadratarii errore pro ω scriptum, aut suo pro ea litera in exeso Marmore lectum fuisse. Hic Alyattes Lydorum Rex erat pater Cræsi. De eo legas Herodotum lib. 1. Diogenem Laertium in vita Biantis, Strabonem lib. 14. & Polyænum lib. 6. & lib. 7.

Ep. 37. Ἀφ' ἧ Σαπφῶ ἐν Μιτυλήνης εἰς Σικελίαν ἐπλάσσε φυγῆς ..... ολ.....  
... τϞ. Ἀθήνησιν μὲν Κεῖτις τῆ περὶ τὸν ἐν Συρακούσας ἡ τῆς Ομοίων κερ-  
νήτων ἢ ἀρχῆν. Syllaba τϞ. post ultimam Lacunam monet in ea legendum esse ἀρχητϞ. Annum Epochæ, qui in Lacuna eam vocem præcedente obliteratur, supponimus esse 330. Secundum enim <sup>ε</sup> Eusebium Sappho & Alcæus duodecimo Alyattis anno floruerunt, qui est annus Epochæ Marmoreæ secundum ipsum Marmor 330. Annus enim 341, ut in præcedente Epochâ patet, erat primus Alyattis. In ultima igitur Lacuna restituumus ἐτη ΗΗΗ. ΔΔΔ ἈρχητϞ. Ἀθήνησιν μὲν Κεῖτις. Quæ in ceteris Lacunis delentur impossibile est restituere.

Σαπφῶ ἐν Μιτυλήνης εἰς Σικελίαν ἐπλάσσε. Phaon Lesbios, quem misere deperibat Sappho poetria Lyrica, in Siciliam velificaverat, quem demum (ut noster hic innuit) Sappho secuta est, & tædium, quod ob absentem amatum passa est, & patriam fugiens. Ovidius in amatoria Sapphus Epistola ad Phaonem,

Nunc tibi Sicelides veniunt nova præda puellæ,  
Quid mihi cum Lesbo? Sicelis esse velim.

Sed amoris postea, ac spretæ formæ injuriæ impatiens in Acarnaniam se contulit, ad Leucatem Petram, indeque in amoris remedium se in mare præcipitans occubuit, ab eoque tempore secundum Menandrum apud <sup>ε</sup> Strabonem ad hanc Petram è tota Græcia se recipiebant desperantes amatores, ut ab ea saltu se in mare mittentes amoris insaniam liberarentur. <sup>h</sup> Ipse autem Strabo Cephalum ob amorem <sup>i</sup> Parolæ, Ovidius Deucalionem ob amorem Pyrrhæ, Ptolomæus autem Hephæstion, quem vide apud Photium, Cod. CXC, multos alios dicit ante Sappho in amoris remedium hunc saltum subiisse, quorum plerique fere omnes periire: qui evaserunt, vulneribus, ossium fracturis, aliisque ab eo saltu acceptis damnis forte debuerunt, quod amoris postea non meminere. In Petræ <sup>l</sup> cacumine erat Apollinis Leucadii fanum, in quo isti deo vota & preces faciebant saltum subituri. Et in festis huic deo quotannis eo in loco celebratis Acarnanibus solenne erat reorum aliquem ab hac Petra, ei plumis omnique generis avibus, quorum volatu saltus sublevaretur, alligatis, averruncandi gratia præcipitasse; infra autem in lembis erant, qui dejectum quantâ poterant celeritate è fluxibus extrahentes, eum, si nullo scopulo allisus cum vita evasisset, extra fines saluum emittebant. De hoc Leucadio saltu lege Strabonem lib. 10. Ovidii Epistolam pro Sappho ad Phaonem scriptam, quæ, nisi cognoscatur quid sit Leucadii saltus, probe intelligi non potest. Ante alios autem legas Ptolomæum Hephæstionem apud Photium Cod. CXC. & quæ ex eo transcripsit Josephus Scaliger in notis ad Ausonium, lib. 2. cap. 18. & Lilius Gyraldum Hist. Poet. Dialog. 9. ubi de

<sup>ε</sup> In Chronicis. <sup>ε</sup> Lib. 10. pag. 452. Suidas in Σαπφῶ. <sup>h</sup> Ib. <sup>i</sup> In Epistola Sapphus ad Phaonem, Strabo lib. 10.

Sap-